

obire vix posse videantur. Alia scientia Regiam mentem exornant, Steganographica constituit. Nullus Rex sine regimine; nullum regimen sine consiliis; rarò consilium regium, seu datum, seu acceptum, proficuum, nisi secretum. Scire tuum nihil est, nisi hoc sciat alter, occinitur aliis: Scire tuum nihil est, si hoc sciat alter, Regibus, ac Principibus dictum esto; alter inquam ab eo, cui patere cupis. Pandenda non rarò Principi consilia absentibus per litteras, ita tamen ut illis solis innotescant, aliis easdem etiam legentibus occulta maneant. Efficiet hoc, si artem calleat Steganographicam, illam præsertim, quâ quis quovis idioma te, & de negotio quocunque conscriptâ Epistolâ, mentis suæ arcana ita manifestare quacunque linguarum hominibus, Latinis, Grecis, Hebræis, Chaldeis, Arabibus, Turcis, Hispanis, Gallis, &c. potest, ut, tametsi & qui scribit & qui recipit Epistolam, idioma non intelligat, absens tamen in secreti cognitionem veniat; nec periculum subsit, ne aliis, qui eandem Epistolam legunt, atque intelligunt, idem innotescat.

Hanc artem proponit Auctor Organi Principi suo. Hanc eandem hoc Libro paulò uberius explicata-

plica-